

Deinde hepar generat bilem, quæ cum non habeat liberum transitum, propter pituitam in venis Mesaraicis infarctam, & etiam in venis ipsius hepatis, quæ angustiores quoque sunt, magis incalescit, & aduritur, ac postea ad obstructions facit. Cumq; ferueat, & non habeat liberum transitum, magis ebullit & incalescit præter naturam, & generat plurimos vapores crassos, quia eum pituita plurima commiscetur. Et hinc est, ut refert etiam Galenus de sententia Dioclis, cur ex illis vaporibus mœstitia oriatur, quia biliosi sunt quidem, sed nigri propter adustionem, unde perturbant & obscurant spiritum, ac sequitur timor, sicuti pueri nocturnas timent tenebras. Quia, ut etiam Galenus dicit, nihil refert, utrum intrinsecæ vel extrinsecæ sint tenebræ. Ac inde etiã plorare cogitur, quia habet tenebras illas intrinsecas, quæ causant mœstitiã. Dolor ventriculi non est præter rationem, cum plurima pituita in ventriculo generetur, plurima bilis in hepate calido, & hepar amplectitur ventriculum, multi vapores ascendunt à pituita ebulliente in ventriculo, propter calorem ambientem, & quia materia viscida, tam citò transire vapores, & euaporare non possunt. Fit enim extensio, cum in loco angusto fluat materia, & propter visciditatem non resoluitur facile, status inclusus extenditur, & fit maxima solutio continui: præterea intemperies pituitæ subito occurrens membris sensibilibus, etiam dolorem inducit. Quia, ut dicit Galenus ex sententia Platonis, repentina mutatio est, quæ dolorem inducit. Et maiores dolores circa os ventriculi percipit: quia flatus ascendunt: & locus ibi est angustior. Et quia ventriculus, ceu subtilissimus omnium membrorum, sensibilis est: in eo excitatur dolor acutus, qui ratione acuminis facile causat alterum symptoma, deliquium animi, ut videatur interdum periculum de morte. Nec sine ratione, quia maximum est commercium inter os ventriculi, & cor, ita ut antiqui vocarint morsum cordis, dolores oris ventriculi. Aliquando ad inferiores partes dolor percipitur, prout flatus occupant varia loca. Et quia iuuenis est, tandem attenuatur ac dissoluitur, & virtus expulsiva insurgit, & depellit, adiuuantibus ad hæc clysteriis, adhibitis ab excellenti medico. Sed cur non potius per vomitum expelluntur? Id primò fieri potest, eo quod quidam naturaliter ita affecti sunt, ut vix aliqua ratione possint euomere, sicut audio hunc etiã esse: vel inde insuper, quia humores pituitosi potius per secessum eiiciuntur, quam per vomitum. Et ideo Hippoc. ait vomitum hyeme periculosum, quia tunc pituita abundat in corpore: estate magis prodest, cum multiplicatur bilis. Cum autem generetur pituita in ventriculo, & plurimæ sunt obstructions in venis Mesaraicis, sequitur, ut impedito transitu humorum infletur hypochondria, & percipiatur rugitus: quia materia illic decumbit, nec liberum habet exitum, propter obstructions, & sequitur murmur, tanquam currentis aquæ, quia vapor ibi contentus valde crassus est, & similimus aquæ. Sed unde scis ventriculum frigidum, & hepar calidum? Quod hepar calidum, ostenditur primò ex calore subnigro,

Vomitum
hyeme pe-
riculosum.

Inflatus
hypochondria
& rugitus.

A qui dominium sanguinis adustioris significat, habet amplas venas: de multitudine pilorum nihil dicam, quia tantum 20. annorum est, nondum sunt emissi, ut debent. De frigido ventriculo vnu habeo indicium, quia semper multiplicata est in eo pituita: cuius rursus duo sunt indicia, inclinatus fuit ad epilepsiæ morbum, qui prouenit vel ab humore pituitoso, vel ab aura frigida: præterea asthma habuit, quod ab iisdem causis prouenit. Sed pituita vel in ventriculo generatur, & ea proprie pituita dicitur: vel in cerebro, quæ improprie pituita nominatur, cum sit potius mucus. In cerebro autem non est generata, alioqui enim cerebrum frigidum, & humidum haberet, quorum neutrum est, ut apparet ex operationibus. Nam in virtute animali promptissimus est, cum frigiditas & humiditas tardum faciant. Habet operationes intrinsecas omnes vegetas, acres & acutas, quod neque à frigiditate intensa, neque ab humido fieri potest. Nam ut Gal. ait ex Heraclito, Spiritus siccus, anima prudētissima. Ab humiditate nihil prouenit, præter quã vapor. Vnde huius cerebrum potius siccum cum moderata caliditate. Sed multum dormit, & est epilepticus. Id non est propter pituitam generatam in capite, sed in ventriculo, cum caput nec humidum sit, nec frigidum excessiuè, sicut operationes ostendunt, quæ sunt indicium temperaturæ. Si igitur in ventriculo generata pituita, necessariò à prima constitutione in eo frigiditas & humiditas fuit: ideo semper abundabat pituita, quæ in puero epilepsiã (quæ mater puerorum ab Auicenna dicitur) generabat propter abundantem humiditatem. Postea exiccato capite virtus expulit eos vapores ad pectus, unde asthma secutum est, nunc ad ventriculum, & intestina, & ita dolores excitat. Atque causas hoc modo intrinsecas habuit disponentes ad hos affectus, videlicet ventriculi frigiditatem, & hepatis caliditatem. Caliditas autem aperit, & facit humores aptos ad ascensum, ut 3. de Lo. aff. dicitur. Vnde secuta melancholia hypochondria, quæ est feruor humoris adusti, ebullientis circa venas mesaraicas, quæ ebullitio fit à frigiditate ventriculi, & hepatis caliditate. Hæ causæ intrinsecæ plurimum adiutæ sunt ab extrinsecis. Degit in aere crasso, qui, ut 3. Epid. scribitur, implet corpus cruditatibus, quæ obstruunt meatus, & impediunt transpirationem. Vfus quoque pessimo genere victus: accidentia animi grauissima accesserunt: litigauit de vita, quod vel solum sufficiens ad melancholiam faciendã: gestauit quoq; grauia arma, quæ plurimum calefaciunt hepar, quia habent resistantiam per antiperistasin, & frigefaciunt ventriculum, quia non habet resistantiam. Sed cur brachia videntur relaxari? Non mirum cum fiat lypothymia, si deficiat extrema, quia calor ab illis ad interiora trahitur. Cur periodicè inuadit? Hoc quoque non mirum, inuadit enim secundum quod multiplicatur pituita sufficiens, ad hoc ut faciat affectum, præcipue in iuvene, & quia medicinis utitur: & si non seruat morbus rationes in victu, ut Gal. refert. Cur æstate magis quam hyeme? In hyeme quidem pituita generatur, sed optime